

non potest agere, nisi per contactum physicum, qui ab anima, quae immaterialis est, excipi non potest. Ergo in systemate physici influxus actio corporis in animam explicari haud potest.

ART. V. *Mutua animae, corporisque in sese actio secundum Scholasticos explicatur*

66. Si theoria aristotelico-scholastica de unione animae, et corporis admittatur, nullo negotio intelligere licet mutuam animae, corporisque in sese actionem ex eo esse repetendam, quod anima se ad corpus, velut forma ad materiam, habet. Quod sequenti Propositione explanatur:

Si anima est principium formale corporis, necesse est, ut anima aliquid agat in corpus, motusque corporis in animam redundant.

Probat. Quandoquidem anima est forma substantialis corporis, ideo unum est esse utriusque, quia forma, ut saepe diximus, est *actus rei*, seu id, quod dat esse rei⁴. Atqui operari, ut Scholae effatum est, sequitur esse. Ergo, quoniam unum est esse commune animae, et corporis, inde necessario efficitur, ut anima, et corpus in sese invicem effluant, atque ex suis operationibus sese invicem immutent. Praeterea, cum anima sit forma substantialis corporis, ipsa debet esse intrinsecum principium, a quo corpus virtutem operandi accipit, ac proinde simul cum corpore subiectum potentiarum, propter quas corpus operatur². Atqui si anima est principium, a quo corpus virtutem operandi accipit; et non corpus tantum, sed totum *coniunctum*, scilicet corpus cum anima, a qua constituitur, est subiectum potentiarum, propter quas corpus operatur, necesse est non modo ut anima membra corporis ad operandum movere possit, sed etiam operationes corporis in animam quodammodo redundant. Ergo, admissa theoria, quam Scholastici de principiis constitutivis hominis tradidere, admittendum quoque est et animam in corpus, et corpus in animam aliquid agere posse. Denique ob eandem rationem, quod nempe anima est forma substantialis

⁴ « Necesse est, si anima est forma corporis, quod animae, et corporis sit unum esse commune, quod est esse compositi »; *Qq. disp.*, q. ua. *De Anim.*, a. 1 ad 13.

² Cf *Dynam.*, c. I, art. 4, p. 98, vol. I.

corporis, consequitur in una essentia animae, tamquam in radice, facultates tum superiores, tum inferiores colligari⁴. Atqui mutua facultatum colligatio in una radice expostulat, ut earum actiones sint mutuae. Ergo².

CAPVT IV.

Animam rationalem esse principium vitae corporis uberius declaratur

67. Animam rationalem esse principium, quo corpus vivit, iam a nobis demonstratum est; ipsa enim, cum sit forma substantialis corporis, dat ei esse, et operari; ideoque, si corpus humanum vegetat, et sentit, anima rationalis debet esse principium non solum quo homo intelligit, sed etiam quo vegetat, et sentit. Sed supervacaneum non est, imo operae pretium esse arbitramur rem tanti momenti uberius declarare, firmissime stabilire, quia quaestio de principio vitali in homine magna contentione inter recentes agitur.

ART. I. *Refutatur organicismus*

68. De theoria mechanica Cartesii, qui quidquid in corpore fit, secundum leges motus, seu mechanicas in eo fieri mordicus contendit, eorumque, qui hodie in Anglia, et Gallia, maxime-

¹ Cf *ibid.*, loc. cit.

² Audiatur s. Thomas: « Secundum naturae ordinem propter colligationem virium animae in una essentia, et animae, et corporis in uno esse compositi, vires superiores, et etiam corpus invicem in se effluunt, quod in aliquo eorum superabundat; et inde est, quod ex apprehensione animae transmutatur corpus secundum calorem, et frigus, et quandoque usque ad sanitatem, et aegritudinem, et usque ad mortem; contingit enim aliquem ex gaudio, vel tristitia, vel amore mortem incurrere. Et similiter est e converso, quod transmutatio corporis in animam redundat. Anima enim coniuncta corpori eius complexionem imitatur, secundum amantiam, vel docilitatem, et alia huiusmodi. Similiter ex viribus superioribus fit redundantia in inferiores, ut cum ad motum voluntatis intensum sequitur passio in sensuali appetitu, et ex intensa contemplatione retrahuntur, vel impediuntur vires animalis a suis actibus; et e converso ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores, ut cum ex vehementia passionum in sensuali appetitu existentium obtenebratur ratio, ut iudicet quasi simpliciter bonum id, circa quod homo per passionem afficitur »; *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXVI, a. 10 c.

que in Germania ad leges mechanicas, vel ad vires chymicas in explicanda vita corporis confugiunt, nihil hic dicimus. Nam, quoniam leges mechanicae, et vires chymicae, ut vidimus, non modo brutorum, sed etiam infimj generis viventium, nempe plantarum operationes efficere nequeunt¹, liquido patet ipsas eo minus efficere posse operationes vitales corporis humani, quae illis sunt longe exquisitiores. Itaque, hac sententia praetermissa, systema, quod *organicismus* vocatur, in primis expendendum nobis est.

69. Defensores *organicismi* fatentur non posse sola physica, aut chymica explicari omnia phaenomena vitae, quae in corpore conspiciuntur, ac proinde admittunt proprietates vitales in corpore a physicis, et chymicis diversas; sed cum pro certo habeant nullum phaenomenum vitae posse ab anima repeti, tuentur harum proprietatum vitalium principium, et subiectum esse ipsam materiam corporis. Quare, secundum ipsos, principium vitale non distinguitur ab ipsa materia organorum², sed est quaedam vis insita, propriaque materiae, et mera eius affectio³. Hoc systema a Sociis Academiae Parisiensis, quibus Bordeus praecessit, hodie propugnatur. Illud inter Bordeum, atque hodiernos organicistas Academiae Parisiensis interest, quod ille cuique organo corporis propriam vitam tribuit⁴, hi vero, ut unitatem corporis viventis sartam, tectamque faciant, unicum esse principium vitale materiae organorum insitum pugnant.

70. Prop. 1^a. *Principium, ex quo actiones vitales promanant, est distinctum a materia corporis.*

Probatur 1^o Corpus humanum, perinde ac quodlibet aliud corpus, non posset ex quibusdam moleculis, veluti partibus, constitui, nisi sit aliquod principium, quo ipsae congregantur, atque ad unitatem substantiae reducuntur, alioquin corpus non

¹ Cf *Cosmol.*, c. IV, art. 1, p. 120-123, et c. V, art. 1, p. 124 et 125.

² Manifestum est organa ab Organicistis intelligi, prout sunt aliquid materiale, non vero prout ab anima informantur.

³ Hoc systema dicitur *organicismus*, quia operationes vitales a vi insita materiae organorum corporis repetit. Dicitur etiam *solidismus*, quia vim illam partibus *solidis* corporis tribuit.

⁴ Bordeus id primo docuit in *Dissert. physiol. de sensu generice considerato*, quam exhibuit an. MDCCXXII Facultati medic. Monspel., quamque eodem anno Monspellii divulgavit.

esset unum *per se*, quale re ipsa est, sed unum *per accidens*. Hoc praemisso, en argumentum: Illud principium, ex quo corpus constituitur, seu ex quo moleculae in unitatem corporis coalescunt, a materia ipsius corporis distinguitur; quippe quod ipsum efficit, ut moleculae, quae *potentia* corpus sunt, *actu* corpus fiant; ac proinde a materia corporis distinguitur, aequae ac actus a potentia, seu forma a materia. Atqui huiusmodi principium, ex quo corpus humanum constituitur, debet esse vitale, quia corpus humanum est vivum. Ergo principium vitale a materia corporis re ipsa distinguitur¹.

2^o Multis observationibus, experimentisque compertum est 1^o moleculas, ex quibus quodlibet corpus organicum componitur, continuo mutari, adeo ut ipsum non modo in qualibet aetate, sed etiam in singulis momentis quasdam suas moleculas amittat, novasque acquirat; 2^o dum moleculae, ex quibus corpus constat, usque mutantur, eandem in eo formam animalis permanere². Ex his consequitur in corpore humano, perinde ac in quolibet corpore organico, formam, seu principium actuosum, quod materiam ad speciem corporis determinat, ab ipsius corporis materia esse distinctam, alioquin ea non posset permanere, dum moleculae organorum mutantur. Atqui forma cuiuslibet corporis organici principium vitale esse debet; quia, cum corpus organicum sit vivum, forma, per quam ipsum constituitur, non nisi aliquid vivens esse potest. Ergo in corpore humano, perinde ac in quolibet corpore organico, principium vitale, quodcumque esse dicatur, a materia corporis re ipsa distingui debet.

3^o In corpore recens mortuo, seu cadavere eadem est materia, ac in eodem, dum erat vivum, et causae exteriores, quibus cadaver circumdatur, sunt eadem, ac illae, quibus ante mortem circumdabatur. Quare si vita esset consecrarium naturale materiae organorum, profecto organa, quae in cadavere aliquam-

¹ Hinc s. Augustinus animam esse docuit illud principium, quod partes corporis in unum congregat, earumque vitam producit, et gubernat. «Haec igitur anima... corpus hoc terrenum, atque mortale praesentia sua vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet»; *De quant. anim.*, c. 33, n. 70. Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 86.

² Cf Florens, *De la vie, et de l'intelligence*, p. I, sect. I, c. 5, Paris 1858.

diu perdurare conspiciuntur, sine ipsa esse non possent. Atqui cadaver, ut a corpore vivo discriminetur, corpus *mortuum* vocatur. Ergo vita non est naturale consecrarium materiae organorum, sed principium ab ipsa distinctum esse debet ¹.

71. Prop. 2^a. *Falsum est tot esse in corpore nostro principia operationum vitalium, quot sunt organa eiusdem corporis.*

*Probat*ur contra Bordeum ², qui, ut diximus, contendit in quolibet corpore animato inesse non solum vitam toti corpori communem, sed etiam tot speciales vitas, quot sunt organa corporis. 1^o Operationum principia, quae ad unicum principium, tamquam sui subiectum, non reducuntur, diversa operationum subiecta exostulant; nam cuiuslibet generis operationum aliquid subiectum esse debet. Quare, si tot principia vitalia in corpore animato existerent, quot sunt organa corporis, tot distincta, diversaque subiecta vitae existere quoque in ipso deberent, quot sunt organa corporis, ita ut quodlibet organum esset subiectum alicuius specialis generis vitae. Atqui quisquis nostrum experitur unicum esse in se subiectum diversarum operationum, quae per diversa organa exercentur. Quis enim non videt unum, idemque esse in se ipso subiectum, quod quinque species diversas sensationum in se excipit, earumque differentias sentit, quod imaginatur, quod corpus movet, quod, ne plura dicamus, respirat, alimenta digerit, aliaque opera vitae exercet? ³ Falsum igitur est tot esse in corpore nostro principia operationum vitalium, quot sunt organa eiusdem corporis ⁴.

2^o Inter plura principia, quorum unumquodque proprias operationes habet, in iisque exerendis ab alio principio non pendet, non alia unio, quam accidentalis, esse potest. Quare, si singula

¹ Cf Bouillier, *Du principe vitale, et de l'ame pensante*, c. 3, Paris 1862.

² Bordeum secutus est Fouquet, *Discours sur la clinique*, Paris 1813.

³ Cf s. Aug., *Conf.*, lib. X, c. 7, n. 11.

⁴ S. Thomas hoc argumentum ex natura zoophytorum perbelle illustravit. Constat enim inter omnes, cum zoophyllum in partes dividitur, quamlibet partem diversas exercere operationes animae, seu principii sentientis, et vegetantis, quo corpus zoophyti animatur. Atqui hoc evenire non posset, si quodlibet organum animalis proprias operationes per principium vitale diversum a principii vitalibus reliquorum organorum exerceret. Ergo in corpore animato unum principium vitale cunctis organis commune, non vero diversa pro diversis organis admittenda sunt. Cf I, q. LXXVI, a. 3 c.

organa non tantum exercerent quasdam speciales functiones eiusdem principii vitalis, quo ipsa informantur, sed unumquodque ipsorum proprium principium vitae haberet, corpus, quod ex ipsis componitur, esset totum *per accidens*, non vero *per se*. Atqui, secundum omnes et philosophos, et physiologos, eiusmodi consensus, sive *harmonia* inter cuncta corporis organa existit, ut ex ipsis corpus unum totum per se, et quodammodo unum organum efficiatur. Ergo pro certo habendum est singula organa corporis non gaudere proprio principio vitae, sed dumtaxat exercere speciales functiones unius eiusdemque principii vitalis, quod totum corpus informat ¹.

ART. II. *Vitalismus impugnatur, simulque animismus assertitur*

72. Postquam vidimus vitam corporis non esse repetendam a legibus mechanicis, et chymicis, sed a quodam principio actioso speciali, quod *vitale* dicitur; atque hoc principium vitale non esse vim insitam, propriamque materiae, et meram eius affectionem, sed esse principium, quod ab organorum materia distinguitur; inquirere debemus, utrum istud principium vitale distinctum a materia organorum sit ipsa anima rationalis, an tertium principium, a corpore, perinde ac ab anima rationali, diversum.

73. Iam inter Philosophos antiquos disputatum est, utrum in homine sit unica anima, qua ipse intelligit, sentit, et vegetat, an duae, quarum una intelligit, altera autem sentit, et vegetat, an tres, quarum una intelligit, altera sentit, tertia denique vegetat. In philosophia recenti Stahlus acriter vehementerque reprehendit diversas eorum theorias, qui, praeter animam intelligentem, alias duas vegetantem, et sentientem in homine posuerunt ². Saeculo XVIII Buffonus, Gassendi ³ vestigiis insistens, ex pugna,

¹ Bordeus etiam in eo erravit, quod unumquodque principium vitae, sive unumquodque corporis organum propria sensibilitate gaudere decrevit. Hunc errorem iam s. Augustinus reprobavit, qui ait: « Vim sentiendi non habet vita quaelibet » (*De Gen. ad litt. Lib. imperf.*, c. V, n. 24). Sane « non omnes operationes animalis, ut s. Thomas advertit, salvantur in qualibet parte eius, maxime in animalibus perfectis » (*Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 7). Quare, etsi quidquid est vitale, sit vitale, tamen vera non est propositio conversa, quidquid est vitale, est sensibile.

² *Theoria medica vera*, *Phys.*, passim; *Paraenesis ad aliena a re medica arcendum*, § 39; *Disquis. de mechan., et organ. etc.*, § 69 sqq.

³ *Physic.*, sect. III, Membr. poster., lib. III, c. 4.

quae inter sensum, et rationem existit, unicum utriusque principium, et subiectum esse non posse contendit, et ideo in unoquoque individuo humano veluti *duplicem hominem* agnoscendum esse decrevit¹. At, exeunte saeculo XVIII, et ineunte saeculo XIX, controversia de unitate principii in homine vehementer exarsit, atque in utramque partem maximo animorum aestu inter Philosophos, Medicos, ipsosque Theologos adhuc agitur. Omnes ii, qui cum Aristotele, Ecclesiae Scriptoribus, Scholasticis², et Sthalio tuentur animam rationalem esse principium omnium phaenomenorum vitae, ita ut nullum aliud principium vitae, praeter ipsam, in homine sit agnoscendum, *Animistae* vocantur. Ii autem, qui duce Barthezio³, sentiunt, praeter animam rationalem, et corpus, esse in homine principium vitae ab ipsis distinctum, quod est omnium phaenomenorum vitalium corporis principium, vocantur *Vitalistae*.

74. Prop. *Una in homine est anima, nempe rationalis, quae est principium cunctarum eius operationum.*

Probatur ¹ *Ab eodem*, ut verba s. Thomae usurpemus, res habet, quod sit ens, et quod sit una, nam ens, et unum convertuntur⁴. Hinc, cum quaelibet res per formam habeat, quod sit ens, per formam quoque habet, quod sit una. Itaque res non potest esse per se, seu simpliciter una, nisi per unam formam; ac proinde si in homine non esset unum principium formale, quod intelligit, sentit, et vegetat, sed vel tria, nempe intellectivum, sensitivum, et vegetativum, vel duo, ut ii volunt, qui vim sentiendi principio intellectivo, aut vegetativo adscribunt, homo non simpliciter unus, sed multiplex esset. Atqui quilibet homo est per se unus⁵. Ergo unum debet esse in homine principium

¹ *Discours sur la nature des animaux*. Hominem duplicem Buffoni non sine aliqua laude Condillachus (*Traité des animaux*, part. I, c. 3) confutavit.

² Ab iis excipiendus est Guil. Ockamus, qui, sicut multa alia, ita hoc quoque philosophiae Scholasticae caput impugnavit, duasque in homine animas admisit. Cf. *Quodlib.* II, q. 10, et 11.

³ *Nouveaux élémens de la science de l'homme*, 2^e ed. Paris 1806.

⁴ Cf. *Ontol.*, c. III, art. 1, p. 18.

⁵ Id omnes Vitalistae, si fortasse perpaucos exceperis, saltem verbo fatentur. Nec aliter sentire illi dicendi sunt, qui hominem cum Buffono duplicant; hi enim unitatem hominis non negant, sed dumtaxat duplex esse in eo principium operationum sibi volunt.

formale, proindeque una anima, seu unum principium vitae¹.

² « Quae attribuntur alicui eidem secundum diversas formas, praedicantur de se invicem per accidens² ». E. g., esse musicum, et esse album, quae sunt diversae formae in Socrate, de se non nisi per accidens possunt invicem praedicari; quia quandoque re ipsa evenit, ut ille, qui est musicus, sit etiam albus, et ille, qui est albus, sit etiam musicus; at simpliciter, seu per se non potest unum de altero praedicari, quia essentia, sive, ut aiunt, notio unius alia est, ac notio alterius. Quapropter, si esse *vivens*, *animal*, *homo*, tamquam diversae formae cuilibet homini inessent, esse *vivens* in homine non posset praedicari per se de *animali*, nec *animal* posset praedicari per se de *homine*. Atqui consequens est absurdum; quia « homo, secundum quod est homo, est animal, et secundum quod est animal, est vivum ». Ergo « ab eodem principio aliquid est animal, homo et vivum³ ».

³ Anima rationalis, ut diximus, est in homine huiusmodi forma, ut perfectiones ceterarum rerum mundi adspectabilis adunatas in uno principio contineat, ac proinde ipsa sola per se praestat ea omnia, quae tum forma corporis inanimati, tum animae vegetabilis, et belluina praestant⁴. Ergo unica est in homine anima, sive unicum principium intelligendi, sentiendi, ac vegetandi. Ad hoc illustrandum exempla numerorum, et figurarum optimo consilio afferuntur⁵. Etenim numeri variantur per ad-

¹ I, q. LXXVI, a. 3 c. Ex quo vides hominem, si essent in eo plures animae, non unum vivens, sed coacervationem viventium fore. Neque dicas cum Jouffroy plures animas, quippe quae ab se invicem pendent, inter se consociari, atque inde unitatem hominis effici. Nam consociatio principiorum substantialium, quocumque modo fieri dicatur, hominem per se, et simpliciter unum efficere nequit. Et sane, consociatio plurium principiorum substantialium, seu formarum, non aliam, quam ordinis unitatem, producit, quia plura principia substantialia non aliter inter se consociari possunt, quam quod unum habet ordinem ad alterum. Atqui unitas ordinis, ut s. Thomas scite advertit, est *minima unitatum* (*Contr. Gent.*, lib. II, c. 58, n. 2). Ergo, si plures animae in homine esse dicantur, unitas hominis ex illarum consociatione effici nequit.

² *Contr. Gent.*, ibid., n. 1. — ³ I, q. LXXV, a. 3 c. — ⁴ Cf. p. 185-186.

⁵ Cf. s. Thom., *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 3 c. Aliud argumentum sanctus Doctor conficit ex eo, quod facultates hominis in suis actionibus impedimento sunt, ita ut quo magis una intenditur, altera remittatur; id quod explicari non posset, nisi diceretur unam esse animam, quae sit illarum facultatum principium; *Contr. Gent.*, ibid., n. 7.

ditionem, aut subtractionem unitatis, ita quidem, ut numerus superior numerum inferiorem contineat. Diversae quoque species figurarum ita inter se comparantur, ut una alteram contineat, e. g., pentagonum continet tetragonum, et tetragonum trigonum. Iam sicut numerus superior, e. g., denarius, non per alium numerum est novenarius, aut octavus, et per alium denarius; atque pentagonus non per aliam figuram est tetragonus, per aliam trigonus, et per aliam pentagonus; ita homo non habet per aliam animam esse rationale, per aliam esse sensitivum, per aliam esse vegetativum, sed his omnibus per unicam animam gaudet. Neque dicas operationes vegetativas, sensitivas, et intellectivas, quippe quae ab se natura differunt, ab una, eademque anima produci non posse. Nam anima humana a causis naturalibus in eo potissimum discriminatur, quod istae, cum unica vi operandi polleant, non nisi eiusdem naturae effectus producere possunt; illa autem, cum habeat plures facultates, quae sunt principia proxima operationum, diversos effectus per eas producere potest.

4° Accedit communis hominum consensus. Sane nos audimus quemlibet e plebe dicentem non solum, *Ego intelligo*, sed etiam, *Ego sentio*, et non solum, *Ego intelligo, et sentio*, sed etiam, *Ego nutrio, Ego auresco, Ego prolem genero*, necnon, *Ego deambulo*¹. Atqui hae, aliaeque communes locutiones, quae communis modi cogitandi signa sunt, persuasionem hominum vel plebeiorum de unitate principii vitalis denotant; nam si aliud esset principium substantiale, quod intelligit, aliud vero, quod sentit, et vegetat, unumquodque illorum principiorum substantialium operationes proprias, alterique haud communes haberet, proindeque non possent eidem subiecto omnes illae operationes adscribi. Ergo ex communi hominum persuasionem confirmatur unum esse principium substantiale, quod intelligit, vult, sentit, de loco in locum se movet, operationesque vegetandi exercet.

5° Denique si principium vitale, praeter animam rationalem, in homine admitteretur, ipsum aut materiale, aut immateriale esse deberet. Atqui neutrius generis esse potest. Nam si materiale esse dicitur², illud absurdum consequitur, quod nempe

¹ Cf Gerdy, *Physiologie des sensations, et de l'intelligence*, p. 8, Paris 1846.

² Ita sentiunt Gassendus, Buffonus, et Martinus.

materia, cum sit vitae expers, vitam corpori in homine largiatur. Sin immateriale¹, illud, quod etiam falsum est, consequitur, nempe principium vitale, dissoluto corpore, manere, ipsumque non esse corruptioni obnoxium. Etenim, secundum Vitalistas, principium vitale est diversum a principio, quo corpus hominis, vel cuiuslibet animalis in specie corporis constituitur. Ergo corpus hominis, vel cuiuscumque animalis posset dissolvi, quin principium vitale dissolvatur; immo non posset principium vitale cum dissolutione corporis dissolvi, quia esse unius ab esse alterius non pendet, atque illud operationes habet, quae huic, prout corpus est, non conveniunt.

75. Illud autem omittendum non est, Philosophum Christianum dubitare non posse, quin anima rationalis sit unicum principium omnium operationum hominis. Nam, praeterquam quod haec theoria est merum corollarium illius doctrinae, qua traditur, animam rationalem esse formam substantialem corporis; siquidem, cum forma sit in qualibet re non modo principium *τὸν esse*, sed etiam *τὸν operari*, idem est dicere, *Anima rationalis est forma substantialis corporis*, ac *Anima rationalis est principium cunctarum operationum corporis*: 1° Ecclesia in Concilio Constantinopolitano IV duas animas in homine ponentes anathemate confecit²; 2° Pius IX ipsam animam rationalem esse principium operationum vegetativarum adversus Baltzerium aperte declaravit³.

¹ Pro immaterialitate principii vitalis stant Arhens, Ubaghs, Magalhaens, alique non pauci.

² « Veteri et novo Testamento unam animam, rationalem, et intellectivam, habere hominem docente, et omnibus deloquiis Patribus et Magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus, in tantum impietatis quidam malorum inventionibus dantes operam devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare, et quibusdam irrationalibus conatibus per sapientiam, quae stulta facta est, propriam haeresim confirmare praetendant. Itaque haec sancta et universalis Synodus, veluti quoddam pessimum zizanium, nunc germinantem nequam opinionem evellere festinans... talis impietatis inventores et patratores, et his similia sentientes magna voce anathematizat »; Act. VIII, can. II.

³ « Notatum praeterea est, inquit Summus Pontifex, Baltzerum in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocasset, sitne corpori vitae principium proprium ab anima rationali re ipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam et appellaret haereticam et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non

ART. III. *Vitalistarum argumenta refutantur*

76. Obiic. 1° Nihil sibi potest adversari. Atqui in homine appetitus rationalis cum appetitu sensitivo pugnat. Ergo in homine non est admittendum unum principium operationum, sed duplex, sive, ut Buffonus ait, *duplex homo*.

77. Resp. *Dist. mai.* Nihil sibi adversari potest *secundum idem, conc. mai., secundum diversa, neg. mai.,* sub eadem *dist. conc.,* et *neg. min. Neg. cons.* Sane, primo, pugna, quae inter actus appetitus sensitivi et intellectivi in homine quandoque existit, animismo non opponitur. Etenim « opposita, s. Thomas ait, praedicari de eodem secundum idem est impossibile, sed secundum diversa nihil prohibet ¹ »; quippe quod ratio verae oppositionis, ut saepe diximus, expostulat ut non solum idem de eodem, sed etiam secundum idem praedicetur. Atqui actus appetitus rationalis, et actus appetitus sensitivi sibi non opponuntur *secundum idem, sed secundum diversa,* nempe secundum diversos modos, quibus obiectum apprehenditur; siquidem experientia compertum cuique est actus appetitus sensitivi cum actibus appetitus rationalis pugnare, quoties aut sensus apprehendit velut delectabile illud, quod ratio vetat, vel apprehendit velut triste illud, quod ratio praecipit. Nihil igitur vetat, quominus appetitus sensitivus, et rationalis eidem subiecto inhaereant, eorumque actus eidem subiecto, nempe animae, tribuantur. Accedit quod haec ipsa oppositio, quam inter actus appetitus sensitivi, et actus appetitus rationalis existere diximus, non nisi accidentaliter est; nam ipsa ex eo oritur, quod interdum actus appetitus sensitivi sunt adeo vehementes, ut rationem ad se trahere conentur ². At ipsi natura sua ad actus appetitus ra-

possumus non vehementer improbare, considerantes, hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari »; vid. *Ephem. La Scienza e La Fede*, vol. XL, p. 378 sq, Napoli 1860.

¹ III, q. XVI, a. 4 ad 1.

² Cf *Dynam.*, c. V, art. 2, p. 160-161, vol. I.

tionalis ordinem habent, ac proinde non solum rationi subduntur, sed etiam libertatis voluntatis quodammodo participes sunt ¹.

78. Secundo, pugna inter actus appetitus sensitivi, atque actus appetitus rationalis animismo favet. Revera, cum appetitus sensitivus in homine contra rationem insurgit, homo sive secundum ipsum, sive contra ipsum agat, unum actum humanum exerit, qui « principium habet in ipso appetitu, et terminum in ratione ² »; isque actus dicitur vitiosus, si fit contra rationem, honestus, si fit secundum rationem. Atqui non posset unus actus humanus ex utroque appetitu exurgere, nisi unicum esset utriusque subiectum; quippe quod si aliud esset subiectum appetitus sensitivi, aliud subiectum appetitus rationalis, unus appetitus posset quidem in alterum agere, sed ambo appetitus unum actum exerere non possent. Ergo pugna, quae inter actus utriusque appetitus in homine conspicitur, unitatem principii vitalis in homine arguit; tantum abest, ut ipsi adversetur.

79. Obiic. 2° Homo potest usu intelligentiae carere, quin vitam amittat. Atqui id demonstrat aliud in homine esse principium intelligentiae, aliud principium vitae. Ergo.

80. Resp. *Conc. mai.; neg. min. Neg. cons.* Re quidem vera, homo vivit, quamdiu anima cum corpore coniungitur, quia, ut ostensum est, anima ex eo, quod corpus informat, vitam ipsi largitur. Atqui « anima, aiente Aquinate, non unitur corpori ut forma mediantibus suis potentiis, sed per essentiam suam ³ ». Ergo nihil vetat, quominus anima cum corpore uniat, atque homo ob hanc unionem vivat, quin usum alicuius suae facultatis habeat ⁴. « Dicendum, quod potentiae animae non se habent convertibiliter cum essentia: quamvis enim nulla potentia animae possit esse sine essentia, tamen essentia animae potest esse sine quibusdam potentiis ⁵ ». Quomodo autem possit homo usu intelligentiae carere, quin vitam amittat, facile explicatur. Certo, homo usum intelligentiae amittere potest; nam, cum intellectus sine phantasmatis in hac vita nihil intelligere possit, ima-

¹ Cf *ibid.* — ² 1^a 2^{ae}, q. LIX, a. 2 c.

³ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XIII, a. 4 c.

⁴ *Alicuius facultatis*, inquit, non vero omnium, quia, cum viventia non sint, nisi quae se agunt ad operationem (I, q. XVIII, a. 1 c.), homo, quamdiu vivit, usu omnium suarum facultatum carere nequit.

⁵ *Qq. disp.*, *De Virtut.*, q. V, a. 2 ad 17.

ginatione, aliisque facultatibus, quae intelligentiae inserviunt, turbatis, usus intelligentiae, vel minuitur, vel omnino cessat¹. At, cessante usu intelligentiae, non idcirco cessat vita, quia cessatio intelligentiae secum non fert cessationem facultatum vegetandi, per quas vita animalis existit. Et sane, perturbato, vel prorsus cessante usu alicuius facultatis, non aliae facultates inde perturbantur, aut cessant, quam quae sine illa actiones suas exere re nequeunt. Atqui facultates vegetandi, quae ad vitam animalis pertinent, sine usu facultatis intelligendi operationes suas exere re possunt. Ergo, cessante usu intelligentiae, necesse non est, ut vita quoque cesset.

81. Obiic. 3^o Notum omnibus est in cadavere animalis, si qua scintilla electrica extremas partes nervorum percussit, motus contractilitatis in musculis produci; ac in capitibus recisis, vel membris amputatis motus contractilitatis aliquamdiu perdurare. Atqui huiusmodi motus in cadavere, et in membris corporis amputatis evenire non possent, si anima esset principium vitae corporis; quippe quod illi motus sunt vitales: in membris autem amputatis, et in cadavere anima non est. Ergo anima non est principium vitae corporis.

82. Resp. *Conc. mai.; neg. min. Neg. cons.* Falsum est motus contractilitatis, qui in cadavere, et in membris corporis recisis, aut amputatis observantur, esse actus vitales. Primo, nihil velat, quin aliquod principium actuosum physicum, aut chymicum in musculis corporis nonnullos motus producat illis similes, quos, dum animal vivit, anima in ipsis producit; propterea quod organa in cadavere non corrumpuntur illico, sed integra aliquamdiu perdurant. Verum illi motus non sunt actus vitae, sed operationes mere physicae, quia non proficiscuntur a principio ipsi cadaveri insito, sed in cadavere a principio, quod positum extra ipsum est, excitantur. Secundo, motus contractilitatis, qui in membris corporis recisis, aut in cadavere animalis violenta, subitaque morte percussis observantur, non ab alia causa repetendi sunt, nisi ab actione, quam principium vitae ante mortem animalis in musculis exeruit. Nam, quoties animal morte violenta afficitur, aut aliquo membro per violentiam privatur,

¹ Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. III, c. 84. *Vid. Dynam.*, c. IV, art. 2, p. 129-130, vol. I.

necesse est in cadavere, aut in membro reciso motus, quos anima iam in musculis produxerat, non illico cessare, perinde ac chorda pollice icta, digito amoto, non continuo vibrare desistit. Quapropter ne hi quidem motus contractilitatis sunt veri actus vitae.

CAPVT V.

De sede animae

ART. I. Philosophorum diversae opiniones recensentur

83. Mirum quot circa sedem animae veteres Philosophi protulerint sententias¹. Ut praecipuas innuamus, Plato animae sedem in capite locavit. Aristoteles, cum animam formam substantialem corporis esse docuerit, eam singulis partibus arcto nexu coniunxit. Stoici animam rationalem in corde praecipuum locum obtinere, atque inde per reliquas corporis partes se protendere opinati sunt². Denique nemo est, qui negat Epicurum animam posuisse in pectore, seu, ut Tertullianus inquit, *in tota lorica pectoris*³.

84. Quod spectat ad Ecclesiae Patres, ferme omnes Aristotelem hac in re sequuntur. Audiatur prae caeteris s. Augustinus. « Anima, inquit, non modo universae molis corporis sui, sed etiam unicuique particulae illius tota simul adest⁴ ». Hanc s. Au-

¹ Cf Plut., *De plac. Phil.*, lib. IV, c. 5.

² Hic abs re non erit adnotare testimoniis ss. Scripturarum, et Patrum eos maxime abuti, qui sententiam Christianorum huic stoicae simillimam probant. Nam aliquam affinitatem inter hanc de sede animae opinionem, et illa verba sive quae leguntur *ad Rom.*, c. X, v. 10, *corde creditur ad iustitiam*, sive quae *Act.*, c. I, v. 24, et c. XV, v. 8, de Deo cordium scrutatore, et quae alibi similia sunt, nemo unquam Scripturarum interpret vidit, nec videre poterat; quoniam haec, aliaque ad internos animi sensus, affectionesque significantes dicta fuisse cuique perlegenti facilliter occurrunt. Item, ss. Patres, si cor aliquando veluti animi sedem constituunt, id docuerunt, ut cor principium affectuum esse inuenerent, atque Platoni obviam irent, qui omnes animi affectus a cerebro oriri senserat. Satis sit verba proferre, quae s. Hieronymus adhibet, nempe: « Est principale non secundum Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde »; *Comm. in Ev. Matth.*, lib. II, c. 15.

³ *De Anim.*, c. 1.

⁴ *De immort. an.* c. 16, n. 23. « Per totum quippe corpus, inquit etiam, quod animat, non locali diffusionem, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in maioribus maior; sed alicubi intentius, alicubi remissius, et